



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Qvæstio LXIII. De Angelorum malitia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

Angeli videlicet in beatitudine præmiōe essentiālē nō proficere. Ratio artic. 4. p̄cedente est redditia. Præter ea autem quā ibi dicta sunt, potest id confirmari: Quoniam homines beati proficere nequeunt in beatitudine: ergo neque Angeli. Consequentia videtur nota, cūm sit par ratio. Antecedens verò præter testimonia art. 4. citata, probatur ex illo ad Galat. 6. *Quis seminaverit homo, hae metet: qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam eternam: ergo dum tempus habemus operemur bona: quasi aperte dicat, post hanc vitam non amplius esse tempus seminandi ac metendi.*

*Gaudia acciden-*  
*talia beatorum ap-*  
*cadant sub*  
*meritum.*

Comm̄dā memoria doctrinā dñi. Thomā hoc loco in responsione ad tertium nempe gaudia accidentalia, in quibus proficiunt beati, iuxta illud Luca 15. Gaudiū erit in cœlo super uno peccatore paenitentiam agente, ita ad beatitudinē accidentiarum beatorum pertinere, ut illa propriè loquendo, non mergantur beati, nec propriè accipiāt ea in præmium: sed ex natura ipsa beatitudinis profluere, vt beatus gaudeat de bono suorum proximorum, & peculiari quadam ratione de eo, cuius ipse fuit aliquo modo causa, aut quod est alieuius, qui cum ipso magis, quam cum aliis beatis, aliquo modo coniunctus est. Confirmari potest, ciuiusmodi gaudia non cadere sub merita beatorum: quoniam quid beati illa habeant, pendet ex libero arbitrio peccatoris, qui vult, aut non vult conueri, suscipere aut non suscipere monitiones Angeli custodis: ergo gaudium illud non confertur Angelo beato in præmium, sed posita beatitudine resultat in beatitudinē ex hypothesi, quid ponatur obiectum ab alieno arbitrio pendens. Gloria corporis, aureola Martyrum, Virginum, & Doctorum, licet non pertineant ad gloriam animæ essentiālē, cadunt tamen aliquo modo sub merito, quod tales beati habuerunt in via, non vero sub merito, quod post adeptam beatitudinem essentiālē habent in patria. Et de beatitudine quidem corporis, dubitandum non est, quin cadat sub merito via.

*Item gloria*  
*corporis &*  
*aureole.*

### QVÆSTIO LXIII.

De Angelorum malitia.

### ARTICVLVS I.

*Vtrum malum culpe possit esse in Angelis.*

*Angeli sua*  
*pro natura*  
*sunt capaces*  
*malitia.*



ONCLVSIO affirmat, & est de fide, vt pater ex illo. lob. 4. In Angelis suis reperit prauitatem, & ex multis aliis testimoniis Scriptura, ex quibus constat, Angelos de facto peccasse. Ratio porosissima conclusionis est, quia habent libertatem arbitrij, neque sunt tātē perfectionis in suis naturalibus, quin apprehenso aliquo bono, quod recte ratione & legi Dei sit contrarium, amplecti illud possint per suum liberum arbitrium, atque adeo declinare à recte ratione, & lege Dei, ac peccare, non solum contra legem supernaturem, sed etiam contranaturem. Neque verum est, eam felicitatem moralem, quam viribus suis naturalibus possunt comparare, esse illis naturalem, vt naturale distinguatur contra liberum, hoc est, contra id quod in corum arbitrio est comparare, aut non comparare. Et enim licet sine difficultate comparare possint felicitatem moralem naturalem: eo quod (si attende velint) facile perspicere possunt, quid rationi

*Beatus*  
*moralis an*  
*sit Angelis*  
*naturale.*

A recte sit consonum, quidque ab ea diffonet, nul lamque difficultatem patiantur ex parte sensualitatis, quam non habent: nihilominus nullum est obiectum (præter infinitum & illimitatum bonum clarè visum) comparatione cuius non habeant libertatem: quod exercitum actus, & multa sunt bona particulaRIA cum recta ratione pugnant; comparatione quorum libertatem habent: quod speciem actus, ita ut vel complecti, vel respire illa possint, prout maluerint, ac proinde peccare possunt contra legem naturalem, tam omitendo, quam committendo. Ac sanè, qui id negant, veras virtutes morales in Angelis negant, imo & foliūtatem moralem, laudemque ex ea consequentem

### ARTICVLVS II. & III.

*Vtrum Luciferi peccatum fuerit superbia ap-*  
*petieritque esse ut Deus.*

### DISPV TATI O VNICA.



T hac disputatio dilucidior sit in sequentia membra est diuidenda.

### M E M B R U M I.

*Sententia D. Thomæ, & sectatorum illius.*

**S** ENTENTIA D. Thomæ his duobus articulis & in responsione ad quatum articuli primi, sequentibus conclusiōibus continetur.

Prima est. Id quod Angelus, quando primō peccavit, appetiit, non poruit esse malum, sed bonum: quare non peccavit ex parte rei, quam appetiit, quasi illa esset mala, sed ex parte modi can appetiit, quia scilicet non appetiit, ut debuit.

Secunda est. Primum peccatum Angelii fuit superbia: & illud consecutum est inuidia.

Tertia est. Angelus, quando peccauit, appetiit ut Deus: non per aequalitatem, sed per similitudinem quamdam.

Quarta est. Primum peccatum Angelii in eo positum fuit, quid vel appetiit suam beatitudinem naturalem, tamquam ultimum finem simplicitatis, non curādo de beatitudine supernaturali, ad quam ordinabatur per gratiam: vel appetiit ultimam beatitudinem, ad quam ordinabatur supernaturaliter per gratiam, appetendo tamen illam suis virtibus naturalibus, non curando de diuino auxilio. Atque in vitro eatus appetiit similitudinem quamdam cum Deo, quatenus appetiit habere suam beatitudinem ultimam ex suis naturalibus: quod est proprium Dei.

Fundamentum primæ conclusionis D. Thomæ est, quoniam arbitratur voluntatem nihil posse appetere, nisi quod per intellectum fuerit prius iudicatum esse bonum: quare cūm in intellectu Angelii non faciat error ante peccatum: atque non per præcessisset culpam: consequens est, ut id quod Angelus, quidam primō peccavit, appetiit, non fecerit malum, sed bonum, ac proinde ut non peccauerit ex parte rei, quam appetiit, sed ex parte modi, quo eam appetiit, quia scilicet non ut oportuit illam appetiit. Unde peccauit Angelus sine errore ex parte intellectus, eò quid iudicium quo ante appetitionem iudicavit, rem quam appetiit esse bonam, verum erat: at vero peccauit per actualē inaduentiam ad modum, quem in appetendo debet.

bebat seruare: voluntarium tamen, eo quod potuerit, & ex hypothesi quod appetebat, teneretur ad eum aduertere. Quo sit, ut dum ita præcepit, & peccauit, fuerit quidem ignorans, non ignorantia præceps dispositionis, qua falso aliquid iudicauerit, sed ignorantia negationis, qua ad id non adueritur, ad quod aduertere poterat, & tenebatur, ex hypothesi, quod actum appenderet elicere.

In prima conclusione & in illius fundamento, præter Caetanum hoc loco, Capreolum in 2. dist. 4. quæst. 1. Ferrariensem 3. contra Gent. cap. 109. & 110. & alios D. Thomæ sectatores, conuenit cum D. Thoma Durandu in 2. dist. 5. quæst. 1.

Tertiæ conclusionis probat D. Thomas, quoniam Angelus appetuit esse vt Deus, vt patet ex illo Iaïe 14. Exaltabo solum meum, ascendam super altitudinem nubium, similius ero Altissimo. Quod licet ad literam intelligatur de rege Babylonis, secundum tamen communem expositionem Sacerdotum, etiam intelligitur de Lucifero: etenim Propheta alludens ad superbiam Luciferi describit eo loco superbiam regis Babylonis. Præter alia, cōfirmare id poterat, ex nomine Michaelis, quod significat, quis sicut Deus. Quia enim princeps ille, dum cum aliis Angelis bonis Lucifer se opposuit, dixit, quis sicut Deus. Michaelis nomen obtinuit: ex quo facto ac nomine perspicue constat, Dei similitudinem Luciferum appetuisse. Subsumit verò D. Thomas: sed primus Angelus nō appetuit esse vt Deus per equalitatem: ergo per similitudinem. Minorem probat D. Thomas primò, quia Angelus lumine naturali cognovit se esse non posse æqualem Deo, vt de se patet: potest vero confirmari, quia cum error in eo non antecederet culpam, sanè ante peccatum non potuit existimare se posse esse æqualem Deo: cum ergo electio non sit eorum quæ esse non possunt, sed eorum dumtaxat, quæ existimantur posse esse, vt patet ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 2. fit vt Angelus non appetierit esse, vt Deus per equalitatem.

Secundò, quia Angelum esse æqualem Deo, implicat contradictionem, arque adeò est non ens: sed obiectum intellectus & voluntatis est solum ens: ergo Angelus non potuit appetere se esse æqualem Deo.

Tertiò, Angelum esse æqualem Deo habet adiunctum Angelum non esse, quia implicat contradictionem Angelum esse, & non esse inferiorem Deo: ergo contra naturale desiderium Angeli, quo naturaliter suum esse, suamque conseruationem appetit, et appetere æqualitatem cum Deo, ac proinde illam appetere non potuit.

Circa quartam conclusionem Caetanus & Ferrariensis locis citatis arbitrantur, D. Thomas magis inclinatus in eam partem, vt dicteret, Luciferum peccauisse, quod appetuerit suam beatitudinem naturalē tamquam ultimā simpliciter, non curando de beatitudine supernaturali, quam quod appetierit beatitudinem supernaturalē ex suis naturalibus, non curando de auxilio diuino. Vtrumque tamen affirmasse tamquam probabile. Capreolus verò loco citato potius tamquam opinionem Diui Thomæ defendit, appetuisse beatitudinem supernaturalē ex suis tantum naturalibus, id quod multi ex recentioribus D. Thomæ sectatoribus solent probabilius iudicare: tamen si alii adhærent Caetano & Ferrariensi, quibus fauere videntur nonnulla Augustini testimonia. Et enim super Genesim ad litteram c. 2. de Lucifero ait: Factus continuo se à luce veritatis auerterit, superbia tumidus, & propria potestatis delectatione corruptus: unde beatus, atque Molina in D. Thom.

A angelice vita dulcedinem non gustauit, quam non utique acceptam fastidivit, sed notendo recipere deservit, & amavit. Continuo impius, consequenter & mente cœcus, non ex eo, quod accepit, cecidit, sed ex eo quod accipiteret, si subdi voluisset Deo, quod profecto quia noluit, & ab eo, quod accepturus erat, cecidit. Et 22. de Cui. D. c. 1. Malis angelis sua, inquit, potestate delectati, velut bonus sumus sibi ipsi essent, & superiors communis omnium beatifico bono ad propriam defluxerunt. Et lib. 14. c. 13. Quid, inquit, est superbia, nisi peruersa celitudinis appetitus? Peruersa enim celitudo est, deserito eo cui debet animus inhæretere principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc sit, cum sibi nimis placet, cum ab illo bono incommutabilis deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. Attamen, si Augustinus locis citatis attente legatur, sanè inde non colligitur Augustinum fuisse arbitrari, peccatum Angelorum in aliquo eorum, qas. D. Thomas 4. conclusio afferit, fuisse possum: sed solum Angelum peccasse, quia se, propriumque cōmodum ac excellentiā, plus quam Deo obedire, eisque subiici, diligendo, aliquid contra Dei obediētiam elegit. Quo pacto affirmat c. 13. citato, Eum peccasse, quam constat, nec peccasse appetendo suam beatitudinem naturalē, nec appetendo supernaturalem ex suis naturalibus.

Obseruant sectatores D. Thomæ, duobus modis posse intelligi Luciferum peccasse, siue in eo quod appetuerit suam beatitudinem naturalē, vt ultimā simpliciter, siue in eo quod appetuerit beatitudinem supernaturalē ex suis viribus, non curando de auxilio diuino. Vno, ita vt sola beatitudo sit res, quā appetit, obiectumq; volutum, non verò modus ille, videlicet, vt ultima, aut ex naturalibus non curando de auxilio diuino, sed modus teneat se solum ex parte auctus appetendi tamquam modus illius, non verò ex parte rei volitae. Altero, ita vt tam beatitudo, quam modus se teneat ex parte rei volitae, quasi utrumque fuerit formaliter volutum ab Angelo, nempe & beatitudo sua naturalis, & esse ultimum finem simpliciter, aut beatitudo supernaturalis, & non esse ex auxilio & gratia diuina, sed ex suis tantum naturalibus. Tunc dicunt, D. Thomam non hoc secundo modo intellexisse: eo enī dato, Angelus appetiuisset malum, præcessissetque in intellectu error, quo id, quod ita appetebat, iudicasset bonum. Præterea appetiuisset, quod esse non posset (quippe cum fieri nequeat, vt supernaturalis beatitudo sine auxilio gratiae viribus solis naturæ obtrinsecatur, stanteque ordinatione diuina, quia Angelus ad ultiorem finem supernaturalē ordinabatur, fieri etiam non posset, vt naturalis beatitudo esset ultima simpliciter) quibus pugnanti docuit Diuis Thomas. Quod sit, vt non intellexerit secundo modo, sed primo: ita scilicet quod, si peccauit appetendo suam beatitudinem naturalē, formaliter solum voluit beatitudinem suam naturalē tamquam rem volitam, & quia ea non ordinavit ad beatitudinem supernaturalē, vt tenebatur, interpretatiū ac imputatiū voluit illam, vt ultimū finē simpliciter, atque ita peccauit, & deuiauit à recta ratione, & lege F Dei ex parte modi appetendi, & rei interpretatiū ac imputatiū volitae, non verò ex parte rei formaliter volitae: ad quod necessarius non erat error in intellectu: sed sat erat inconsideratio eius, ad quod tenebatur aduertere, quodque debebat seruare in modo appetendi, eo ipso quod appetebat obiectum principale ad namque, quod est formaliter volitum, necessarius est, vt præcedat iudicium, quo & cognoscatur, & bonum iudicetur: ad id verò, quod solum interpretatiū & imputatiū est volutum. ne-

que iudicium quod bonum sit, neque cognitio de illo est necessaria, sed satis est, quod virumque potuerit praedere, & appetitus negligitatem non praecesserit. Si vero peccauit in eo quod appetit beatitudinem supernaturalem, solum voluit formaliter beatitudinem supernaturalem tamquam rem voluntatis, & quia illam appetitum suis naturalibus, habendo se negavit, circa auxiliu diuinum, & circa diuinam gratiam: tamen eo ipso, quod eam appertebat, teneretur habere se politius, & velle eam ex diuina gratia: sane interpretatione ac imputatiune voluit, ut non esset ex diuina gratia: sed ex suis tantum naturalibus, atque ita deuiauit a recta ratione, & legge Dei ex parte modi appetendi, ac rei interpretatione ac imputatiune voluntatis, non vero ex parte rei formaliter voluntatis, ad quod, ut dictum est, esse nec non fuit, ut praedeter error ex parte intellectus, sed sufficiens fuit sola inconsideratio.

Quo loco animaduerte, sectatores D. Thomæ eodem modo affirmare superbiam in primo peccato Angelorum reperiiri, non ex parte rei formaliter volitæ, quasi quia illam appetierunt, superberint, sed ex parte modi appetendi, rei que interpretatiæ volitæ. Superbia namque est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, seu excellentiæ in proportionatæ statu, aut fini, ad quem res, vel suapte natura, vel supernaturaliter ordinatur. Quare cum Angelus ad naturalem & supernaturalem beatitudinem fuerit ordinatus, neque utique in eo quod naturalem, neque quod supernaturalē beatitudinem appetierit, cernitur superbia ex parte rei, quā formaliter voluit, sed solum ex parte modi appetendi, rei quam eo modo appetendo interpretatiæ voluerat. Velle namquicq; angelum interpretatiæ suam beatitudinem naturalem, ut ultimâ simpliciter, vel beatitudinem supernaturalē, non ex gratia & auxilio Dei, sed ex suis tantum naturalibus, et velle interpretatiæ habere ex suis naturalibus suam beatitudinem ultimâ simpliciter, quod est proprium Dei, ac proinde est supra id, quod status illius exigit, & quod postulat id, ad quod tam naturaliter, quam supernaturaliter ordinatur. Ita paucis explicitare habes sententiam D. Thomæ, quam facit oblicue proponit hoc loco, pluribꝫ explicant eiusdem sectatores.

## MEMBRVM II.

*Sententia Scoti, & Gabrielis, illiusque impugnatio.*

*Quid de pecato angelorum Scotus senserit.*

**S**COTVS in 2. d.6. q.2. & Gabriel ibidem q.1. conueniunt cum D.Thoma, primum peccatum Angeli fuisse, quod beatitudinem inordinatè appetierit. Attamen dicunt in illa appetitione, & cerni amorem amicitiae quo se ipsum inordinatè dilexit, & amorem concupiscentia, quo beatitudinem inordinatè voluit. Atque ex inordinato amore sui inordinatum beatitudinis amorem ortu habuisse, iuxta illud August.14.de Ciuitate Dei c.vlt. Duo amores fecerunt duas ciuitates. Amor sui usque ad contemptum Dei ciuitatem Babylonis, cuius caput est diabolus, & amor Dei usque ad contemptum sui ciuitatem Dei, cuius caput est Christus. Tunc dicunt inordinatum illum amorem sui, qui natura antecessit concupiscentiam beatitudinis, pertinere ad peccatum superbiae, tametsi Scotus agrebat explicet, & nutare videatur: inordinatum verò concupiscentiam beatitudinis pertinere ad peccatum luxuria: eo quod inordinatum eam tamquam bonum quoddam delectabile concupierit, & concupiscentia boni delectabilis ad

A luxuriam reducatur. Quamvis enim, inquit, luxuria sit propriè in actibus carnis, inordinata tamè appetitio cuiusque delectabilis ad luxuriam reducitur: sicut & delectatio ipsa, qua ita inordinata percipitur, quamvis sit de re spirituali, vt de speculatione conclusionis Geometriae, ad luxuriam pertinet. Addunt, post hos actus subsecutum fuisse inordinatum appetitum principatus, ac dominandi in ceteros, subfecutamque esse inuidiam & odium.

B Opinio hæc Scoti, quatenus affirmat appetitum beatitudinis, quæ bonum quoddam est delectabili-  
tate, pertinere ad peccatum luxuriæ, improbabili-  
tatem, profecto. Solus quippe appetitus delectationis in  
actu, qui ad venerea ordinatur, ad luxuriam spectat,  
si inordinatus sit. Quod si ordinatus sit, pertinet  
ad virtutem castitatis coniugalis. Appetitiones ve-  
rò aliarum delectationum ad eas virtutes , aut via  
spectant, ad quæ ea , circa quæ delectamur, per-  
tinent , ut appetitio moderata delectationis in cibo  
& potu spectat ad temperantiam : immoderata ve-  
rò circa idem obiectum pertinet ad intemperan-  
tiam : moderata appetitio delectationis in specu-  
landa conclusione aliqua spectat ad virtutem stu-  
diositatis : immoderata verò ad vicium studiositatit  
C per excessum oppositum. Cum ergo appetitio beat-  
itudinis in se, nec ad castitatem, nec ad luxuriam  
illi contraria spectet, efficitur, ut neque appetitio  
delectationis circa beatitudinem ad castitatem, aut  
ad luxuriam pertineat.

D Id etiam quod affirmant, nempe inordinatum amorem sui, unde oritur inordinatus appetitus beatitudinis, pertinet ad speciem superbiae, sicut sufficienter non probant. In primis, quoniam sicut amor proximi, idque, quod amoti proximi contrariatur, non sunt aliud quam virtutes & vita, que comparatione proximorum nobis insunt, quæcumque speciem habent ex obiectis, quæ eisdem virtutibus aut vitiis proximis volumus: sic etiam amor sui non videtur esse aliud, quam virtutes, & vita, quibus homo ordinatè, aut inordinatè se haber circa se ipsum, quæcumque speciem sumunt ab obiectis, quæcumque homo ordinatè, aut inordinatè sibi ipsi vult. Idem quippe actus, quo homo sibi vult aliquid, putat cibum, quatenus terminatur ad cibum, quem vult sibi, dicitur concupiscentia cibi, quatenus vult per determinatur ad se, cui cibum vult, dicitur amor suuine, que illa videntur distincta integra obiecta, ut co-

**E** rum comparatione diversa rationes formales, speciesque virtutis, aut vitij, in actu resulant: sed potius videntur plures partes unius integrum obiecti virtutis, aut vitij: quarum una est quasi ratio, quod actu terminetur ad alteram, nempe ita, cui voluntus bonus, est quasi ratio, quod actu terminetur ad bonum, quod ei concupiscimus: eaque ratione amor amicitiae, quo nos aut alterum diligimus, est ratio & origo amoris concupiscentiae, non quidem ex parte actus, qui unus est & idem, sed ex parte obiecti, quatenus actum dilectionis terminari ad eum, cui bonum aliquod concupiscimus, est ratio ex parte obiecti, quod terminetur ad bonum, quod illi concupiscimus. Licit ergo ab vita que parte obiecti actu virtutis ac vitij speciem sumat (alterius namque speciei sunt virtutes, & vitia, quibus ordinatae, aut inordinatae non habemus ad Deum, alterius, quibus ordinatae, aut inordinatae nos gerimus erga nos ipsos, & alterius, quibus ordinatae, aut inordinatae nos erga proximos gerimus) nihilominus ultimum complementum speciei est ab obiecto, quod Deo, nobis, aut proximo voluntus, aut nolumus: sic amor, quo ita proximum diligere.

lo, & ei velim, ac reddam quod ipsius est, pertinet ad speciem iustitiae: amor, quo patrem diligimus, dum honorum debitum, et volo, ac exhibeo, pertinet ad speciem pietatis: amor, quo diligo proximum, dum elemosynam ad sublevidam illius necessitatem ei volo, & porrigit, pertinet ad speciem misericordiae: & ita de reliquis, quae proximo intant illius virtutem, aut nolumus: pro diuinitate namque obiectorum, siue bona sint, siue mala, quae eis volumus, aut nolumus, consurgunt diuersae species virtutum, ac virtutum per ordinem ad proximos. Vnde intelliges faciliter, quanam ratione precepta omnia, que circa proximos traduntur, in hoc B verbo, praecepto generali instaurantur, *Diligere proximum tuum sicut teipsum.* Eodem modo alterius speciei est amor, quo nos ipsos ordinamus, aut inordinatè diligimus, dum nobis cibum ac potum appetimus, ac dum nobis appetimus veneremus, & dum nobis ordinatè aut inordinatè appetimus honores, & eminentiam, ac dum appetimus diuitias, & ita de reliquis obiectis, que nobis ordinatè, aut inordinatè appetimus: pro diuinitate namque huic modi obiectorum diuersæ species virtutum, ac virtutum in ordine ad nos ipsos consurgunt. Eodem modo unus simplicissimus actus, ad virtutem religionis spectans, est, quo Deo volumus honorem, aut subiecitionem, ac obedientiam illi debitam, qui speciem sumit pro qualitate eius boni, quod non volumus, nec in eo actu sunt dictæ rationes formales virtutis, vna qua consurgat ex Deo, cui tale unus volumus, & alia, qua consurgat ex bono, quod illi volumus & exhibemus.

Quo loco animaduerte, nos non negare, dari virtutem caritatis, tam naturalem, quam supernaturalem, qua Deum diligimus, quæcumque specie distinguita sit à virtute religionis, & à reliquis virtutibus, ac proinde quæ suos proprios actus habeat specie distinctos ab actibus aliarum virtutum: neque item negare virtutem caritatis in ordine ad proximos, & quæ nos etiam ipsos diligimus: sed quod assertimus est, quando bonum aliquod, vel nobis, vel alteri volumus non esse duas rationes formales virtutis, aut virtutis alteram quæ nos, aut alterius amore amicitia diligamus, nobis, aut alteri volendo illud bonum: & alteram, quæ bonum illud amore concupiscentiae nobis, aut alteri velimus: sed unam tantum, quæ complementum speciei habere solet ex bono ita concupito nobis, aut alteri volito. Explicate autem qui sine actus proprio caritatis, & qui aliarum virtutum, & quando, ac quousque ex parte obiecti nobis, aut alteri voliti consurgat distincta species à caritate praesé sumpta, alterius est loci, ac temporis.

Hinc parat in appetitione, qua Angelus sibi beatitudinem appetierit, non certi duplicitatem rationem formalem, alteram concepientiae beatitudinis, & alteram, qua se ipsum amore amicitiae dilexerit, sed virtumque ad unam simplicissimam appetitionem unius eiusdemque speciei pertinere, tam in genere naturae, quam in genere moris. Vnde virtus est manifestum, necesse non esse, ut concepientiam, qua Angelus sibi beatitudinem concupitur, praecellerit amor amicitiae, quo se ipsum inordinatè dilexit, aut quod dilectio, ut ad virumque partiale obiectum terminatur, sit duo amores ad diversas species virtutis, aut virtutum pertinentes. Quod fit, vi si concupiscentia beatitudinis apud Scotum ad speciem superbiae non spectat, neque amor amicitiae, quo se ipsum inordinatè amo, eam sibi voluit, ad superbiā pertineat. Deinde non sufficiunt.

*Molina* in D. Thom.

A cincter probant Scotus & Gabriel ordinatum  
amorem sui, vnde in Angelo ortum habuit inordinatus appetitus beatitudinis, pertinere ad speciem  
superbie: quia esset actus distinctus a concupiscentia beatitudinis, pertinet ratiō ad vitium  
virtutis caritatis naturalis, amorisque sui ordinatus  
contrarium per excessum, nec esset necesse, ut ad  
superbiā pertineret, qui cum humilitate pugnat: quare non immerto natare videatur Scotus,  
neque constanter affirmat pertinere ad speciem  
superbie.

MEMBRVM III.

*Explicatur, ipso quo sensu appetere potuerit Angelus se esse aequalis Deo, & in quo non: ad concordiamque reducuntur Diuini*

Thomas & Scottus.

**C**reca tertiam conclusionem D. Thomae notandum est, Scotum in 2. d. 6. q. 1. in ea esse sententia, ut dicat, Angelum potuisse appetere se esse vt Deum per æqualitatem, potuisse que in eo peccare. Si tamen attente legatur, non pugnat cum D. Thoma. D. namque Thomas loquitur de primo peccato Angeli, intelligentiusque est de voluntate absoluta seu efficaci: Scotus autem, nec loquitur de primo peccato Angeli, nec de voluntate absoluta & efficaci, sed de conditionali, & inefficaci ad imperitum à media ad lexceptionem: qua voluntas inefficaciter & conditioniter nullius.

*Voluntate co-  
dizionata ut  
potuerit an-  
gelus appere  
re diuinam  
equalitatem  
atque ea in-  
peccare.*

et conditionibus, velletas  
consuevit appellari, sufficiit id peccatum. Quia  
ergo sola voluntas efficax est, qua esse non potest  
impossibiliter, corumve, quia talia esse creduntur,  
velletas vero voluntative conditionalis esse potest  
coram, qua nulla ratione esse possunt, vt Aristote-  
les<sup>3</sup>. Ethicorum c. i. & 2, docet, merito. Scotus lo-  
co citato affirmat, Angelum non potuisse quidem  
peccare ex electio one, appetendo aequalitatem Dei,  
vt electio est voluntas efficax meditorum ad finem;  
sic enim lex Aristotele 3. Ethicorum c. 2. Electio fo-  
lum est eorum, qua esse possunt: potius tamen  
peccare: ex electione, vt peccare ex electione, est  
peccare non ex ignoratia, nec ex passione, aut sub-  
reptione, sed ex plena cognitione. Nec credo quic-  
quam tunc posse reprehendi in hac sententia Scotti:  
quoniam potius existimo satis probabile, Luciferum  
post primum peccatum, non solum ostio prosecutum  
fuisse Deum, voluntaque Deum non esse, vo-  
luntate conditionata, si scilicet id esse posset, sed  
etiam appetiuisse aequalitatem Dei. hoc est, se esse  
qualis est Deus, aut quiescit Deus, si id villa ratione  
esse posset. Tanta fuit in eo monstro superbia, ini-  
quitas, et insolentia. Hac omnia, prater rationes  
alias Scotti, mihi persuaderilla brevis, quia in his  
nullam video repugnantiam.

Vnde ad rationes quibus Diuus Thomas tertiam conclusionem probauit; quatenus cum hac sententia Scotti pugnare alieni forte videbuntur; respondentem est. Ad primum, negando minorem, si sit sermo de voluntate conditionata; & pot pri-  
mum Luciferi peccatum: concedendo vero, si sit sermo de voluntate absoluta; de qua sola conclu-  
dit optimè probatio subsincta, non vero de volun-  
tate conditionata, seu velleitate, in qua non fecus,  
ac in voluntate absoluta cerni potest ratio peccati  
de uno & eodem obiecto, modò conditio apposita  
talis non sit, quæ destruit rationem peccati, ut es-  
set, si quis velleret, quod in se est peccatum, at sub  
conditione, quod non esset peccatum.

Fff 3 Ad

*Ad secundum.*

Ad secundum neganda est minor: intellectus namque intelligit chimaram, & alia, quæ esse non possunt, sed per ea, quæ esse possunt, voluntasque potest illa appetere, non voluntate absoluta, sed sub conditione, si esse possent.

*Ad tertium.*

Ad tertium, concessò antecedente, neganda est consequentia, si in consequence sit sermo de appetitione conditionata, qua sub ea conditione appeteret aequalitatem Dei, si, ipso manente eodem qui est, esse posset aequalis Deo, aut is, qui est Deus: concedenda vero est, si sit sermo de appetitione absoluta. Aliter soluit Scotus hæc argumenta.

A nem nobilitatem, atque excellentiam contemplatum, cœpisse tum secum cogitare, tum ceteris Angelis proponere. Nonne æquius erat, nonne magis rationi consentaneum, ut quando Deus se summo illo modo creaturis communicate constituebat, angelicas potius natura, quæ tot paribus longe superat humanam, eo se modo communicaret? Ex inter angelicas eam potius ad id eligere, quæ præstantia ac dignitate ceteras antecederet? Addunt autores huius sententia, elatum in eum modum Luciferum sibi ipsi suæ propria natura cupere cœpisse hypostaticam illam, vniōnem cum Verbo diuino, & principatum illum ac excellentiam super omnia creata, atque apud se statuisse detracere diuinum illud man datum, & ordinationem, traxisse, que in suum consilium, prop ositum, ac determinationem ceteros demones. Obtenebrato vero intellectu, depravataque illius voluntate per superbia, rebellionis, & inobedientia peccatum contra Deum, exarsisse in inuidiam, & odium generis humani, præsertim Christi, concupisse illum perdere, & occidere: simul etiam fuisse inflatum odio Dei, qui id constituerat, sibi resistebat, sequere de statu pristino proper peccata commissa in extremam miseriā detrucebatur.

B Addunt idem Michael, Gabrielem, ceterosque bonos angelos, auditio Dei consilio, & præcepto, ei adhæsse, omniamque, ut pat erat, probantes, restituisse, sequere contra Luciferum, illiusque fecitores oppoluere: omnes aduersantes ē cœlo in terram, ac tartara præcipites deturbasse, iuxta illud Apocalyp. 12. Factum est primum magnum in cœlo, Michael & Angeli eius prælabantur cum dracone, & draco prægnabat & Angeli eius: & non valuerunt, neque locu inueniunt est eorum amplius in cœlo: & projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanás, qui seducit universum orbem, & projectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. De quo eodem draconem paulo ante dicitur, Et cœda eius irahebat tertiam partem stellarum cœli. Itaque horum Doctorum sententia est, Luciferi peccatum fuisse superbiam, quæ de ipso presumens, suaque pulchritudine & nobilitate inflatus, appetiū naturam suam ad thronum Verbi diuinum per vniōnem hypostaticam euchi, ceteris omnibus præcessit, nullique omnino creatura subiici, hancque superbiam comitata fuisse inuidiam, & odium generis humani, præsertim Christi, homicidiique peccatum, quo Christum perdere concepit, nec non odium Dei.

C Ex recentioribus, huius sententia autores sunt, Ambrosius Catharinus in illud Genel. 3. sed & serpens erat callidior ceteris animantibus. Viguerius c. 3. Institutione Theologarum. §. 2. vers. viii. & quidam alij. Ex antiquioribus Rupertus Abbas in illud Ioann. 8. Ille homicida erat ab initio. Dionysius Carthusianus 1. sententiarum d. 5. q. 1. Gulielmum Parisensem citat in hanc sententiam, neque eam reprobavit: tametsi hi non tam explicat, accentiotes, memoratam sententiam proponant.

D Sunt qui eandem opinionem tribuant D. Bernardo sermone 17. in Cantica: at certè Bernardus eo loco, non firmus, quin potius tamquam quid incertum, explicat quale fortasse fuerit Luciferi peccatum, dicens: Putas enim Lucifer ille qui mane oriebatur, sed preproper eleabatur, antequam verteretur in tenebras generi nostro insiderit, & spissæ olei effusio nem, ut per se ipsum iam tunc indignabundus missetur, dicens intrasse quodammodo, ut quid perditio hac? Hoc ego non afferro dicere spiritum, sed nec contradicere dico.

*Angelorum peccatum ex D. Bonaventura sententia quale.*

**D** I v s Bonaventura in 2.d. 1. art. 1. q. 1. & 2. putat, initium peccati Luciferi fuisse presumptionem, qua intuitus suam pulchritudinem, & perfectiones, præsumpsit de ipso, se alijs præesse posse, dignitatemque sua naturæ id postulare: peccatum vero illud fuisse consummatum in ambitione, qua hoc ipsum propria autoritate appetiuit: inde autem, cum obtinere non posset, secutam fuisse inuidiam, & odium: unde affirmat primum Luciferi peccatum fuisse superbiam. Eadem sententiam, vt communiorem inter Doctores refert Dionysius in compendio Theologie propositione 72.

*Durandi opinio.*

Durandus in 2.d. 5. q. 2. probabile existimat, sicut primo homini impositum fuit præceptum iuris positivi, ne comedaret de ligno: sic etiam Angelis impositum fuisse aliquod præceptum iuris positivi, ut qui ad eundem finem erant conditi simili quoque lege viuerent, sumptuque simili periculo fideliratis ac obedientia eorum ad finem peruenirent, aut ab eo deficitarent. Vnde arbitratur Angelos, non secus ac primos parentes, transgrediendo præceptum iuris positivi, quod accepterant, peccasse. Quod autem fuerit illud præceptum, atque adeo, quod fuerit in particulari peccatum angelorum, ait nos nescire.

E Aliorū opinio occasione revelatione Christi futuri peccasse angelos.

Sunt vero quidam alij, his præsertim temporibus qui arbitrantur, Luciferi peccatum, dæmonumque aliorum, qui illi adhæserunt, inde sumptuose occasionem, quod Deus statim ac Angelos condidit, in examen & probationem obedientia, fidelitatis, ac subiectionis eorum, inter alia, quæ illis revelauit, vnum fuerit, mysterium incarnationis futurum, nempe consilium, propositum, ac decretem suum æternum esse communicare se summo modo, qui esse potest creaturis suis, vñireque naturam humanae Verbo diuino, ac proinde constitutæ hominem, qui ex huiusmodi vniōne resultaret, quiq; eo ipso Deus & homo necessariò erat futurus, caput regni cœlestis, Dominusque creaturatum omnium mente prædictarum. Deinde simul impolluisse præceptum Angelis, ut eum adorarent, ac illi seruirent: non secus ac primis parentibus, ut eorum fidelitatem ac obedientiam probaret, præcepit, ne de ligno vetito comedenter. Eiusmodi vero consilium, ac præceptum scilicet statim offerre cœpisse Luciferi ut durum, nec satiæ æquum, suamque pulchritudi-

nescio enim. Potuit autem contingere (si tamen incredibile non paretur) plenum sapientia, & perfectum decorum homines præcavisti potuisse, etiam & perfecturos in parentem gloriam: sed si præscivisti Dei Verbo absque dubio videt, & in liuore suo inuidit, & molitus est habere subiectos socios designatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura: non decet esse concives: nec aequalis in gloria. An forte prodiit impia hanc eius machinationem illam presumpcio ascensio, sive iugis significans magisterium: Ascendam, inquit, super montem excelsum, & sedebu in lateribus aquilonis: quo altissimi quamdam proinde similitudinem obtinere. Si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam, ita & ipse altus sederet, regeretque genus humana. Absit, iniquitatem meditatus est in cubili suo, mentitur iniquitas sibi. Nos alium non cognoscimus iudicem, quam auctorum. Non diabolus, sed Dominus iudicabit orbem terre, ipse Deus noster in seculum, & in seculum facili, ipse reget nos in secula. Ergo in celo concepit dolorem, & in paradiſo peperit iniquitatem, prolem malitiae, matrem mortis, & errantiarum omnium prima parens superbia. Nam eis inuidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, iniitum lamen omnis peccati superbia. Haec tenus Bernardus. Quibus sanè verbis, nihil de reuelatione mysterii incarnationis, nihil de præcepto Luciferi imposito, quo tamquam Dominum adorare debetur Christum hominem, illique subiici memini Bernardus, sed solùm de reuelatione creationis futuræ hominum: vt vna cum Angelis sempiterna poterint felicitate, indequæ non improbabile existimat Luciferum occasionem sumplisse ruendin peccatum superbiae, inuidiaque generis humani.

*Confirman  
quidā hanc  
sententiam.  
Primi.*

Quidam ex dictis doctoribus confitunt hanc suam sententiam. Primi, ex illo ad Titum 1. In finem vite aeterna, quam promisisti, qui non mentitur Deus, ante tempora secularia: cum ergo, quod promittit alicui, aut aliquibus promittatur: & gratia per Christum hominibus data, neque aliis, quam Angelis, fuit à Deo ante tempora secularia promissa, nec in alia duratione, quam statim ac angelos condidit: consequens est, vt statim ac illos condidit, reuelauerit mysterium incarnationis, Christumque futurum caput & dominum Angelorum & hominum, indequæ verisimiliter sumplisse occasionem cadendi per superbiam, inobedientiam, inuidiam, & odium Christi, ac generis humani.

Secundò ex illo ad Hebrei 1. Et cum iterum introduci primogenitum in orbem terra, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei: citare autem videtur Paulus illud Psal. 96. Adorent eum omnes Angeli eius: cum ergo Paulus dicit: Cum iterum introducit, &c. fit, vt non solùm, quando mysterium incarnationis executioni fuit mandatum, Christusque, quatenus homo, à Patre aeterno fuit in orbem terrarum introductus, fuerit Angelis imperatum, vt Christum hominem adorarent, sed etiam statim, ac Angeli sunt conditi, fuit primum idem præceptum eis impositum: atque adeò fit, vt manifestatio mysterii incarnationis, impositioque illius præcepti statim à principio creationis Angelorum fuerit dæmonibus occasio lapsus in peccatum.

Tertiò ex illo Ioan. 8. Vos ex patre diabolo es, & desideria patris vestri vultis perficere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: cum ergo Pharisæi, cum quibus Christus loquebatur, vellent Christum interficere, & vt ex antecedentibus, & sequentibus in eodem capite constat, ea de causa dicat illos esse ex patre diabolo, & desideria illius velle perficere: consequens est, vt Lucifer statim à

A principio desiderauerit Christum interficere, nec id perficere potuerit, atque adeò, vt illi statim à principio innoverit mysterium in carnationis, futurumque Christum caput & dominum hominum & angelorum, ita nimis, vt inde ruinæ anfam atripuerit: loquitur namque Christus eo in loco de primo peccato, & ruina Luciferi, vt patet: quoniam cum dixisset: Ille homicida erat ab initio: additum, & in veritate non stetit: quod omnes exponunt, quia per peccatum à gratia, in qua conditus fuerat, decidit. Hoc totum affirmat Rupertus in eum locum.

B Quartò ex illo Isaiae 14. quo ad Luciferi super-

biam, & casum alludens prophetæ de rego Babylonis, ait: Quomodo cedidisti de celo Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In celum contendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebu in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similius ero Altissimo. Cum Lucifer ante lapsum in peccatum, in celo cœpyreto esset, ceteraque creature, naturæ, gratiæque nobilitate, & donis vinceret, sanè id quod in corde suo dixit quando peccatum suscepit, videlicet in celum contendam, super astra Dei exaltabo solium meum, non est intelligendum de aseensi in celum materiale, & super astra materialia, sed de aseensi ad unione hypostaticam cum Verbo diuino, quam appetiuit, & ybi super omnia creata tamquam in folio & monte testamenti, sedere voluit, similiusque esse in dominio & principatu super reliqua omnia Altissimo, eo modo quo Christus, quatenus homo, Dominus est omnium.

C Verum aduersus hanc sententiam obiicit ali-

quis, Luciferum appetendo unionem hypostaticam sua natura cum Verbo diuino, consequenter appetiuisse suum suppositum non esse: quare cum nihil appetere possit sui ipsius destructionem, ac non esse, consequens videri, vt neque unionem hypostaticam propriæ naturæ cum Verbo diuino potuerit Lucifer appetere. Respondendum est tamen fieri optimè posse, vt quis appetat suum non esse: tum intuitu vitandi maioris mali, quam sit bonum sui esse: quo pacto quoniam melius esset damnatis, si natū non fuissent, querent mortem, vt euadant tormenta, nec tamen eam inuenient: tum etiam intuitu maioris boni, quod pars remanens creatura appetentis, obtinebit: quo pacto Paulus dissolui oportebat, vt cum Christo esset, quo ad animam. Quare intuitu tantu boni, quantum est propriam naturam vnitam esse Verbo diuino, quodvis suppositum id recuperet, si Deus ita ordinare veller: esto, quoad rationem suppositi proprii sui naturæ, definires esse.

D E Hoc loco, quasi per transennam, faciendam duxi mentionem insania Mahumeti circa ruinam Luciferi, & aliorum angelorum, quæ ex quorumdam Iudeorum f. bulis hausisse videtur. Ait namque in Alchorano, Deus præcepisse Angelis ut coram Adamo se humiliarent, cùmque venerarentur, Luciferumque, & scélatores illius noluisse parere, edique de causa damnationem incurrisse. Lege Dionysium Carthaginianum lib. 2. in Alchoranum art. 27. Athanasius, aut quisius alius eius operis autor, quæst. 6. ad

Antiochum, ante Mahumeti tempora referens hunc errorem, hac subiungit: Hominum scélatorum commenta sunt hæc.

*Mahumeti  
commentum  
circa ange-  
lorum pec-  
catum.*

## MEMBRVM V.

2. Conclus.



Autoris sententia.

T de hac re dicam quod sentio, sit prima conclusio primæ conclusioni D. Thomæ contraria. Quod Angelus appetuit dum primo peccauit, potuit esse malum moraliter: vnde potuit primò peccare non solum ex parte modi appetendi, sed etiam ex parte rei male, quam appetuerat, vrisimileque est eum sic peccasse. Hæc probatur ex contrario fundamento ei, cui nittitur D. Thomas. Quoniam, vt res, quæ est mala moraliter, appetatur, neque est necessarium, vt iudiceretur bona moraliter, neque vtiudicetur bona simpliciter, sed satiæst, si in ea conspicatur aut ex similitudine ratio aliquæ boni utilis, honesti, aut delectabilis, ratione cuius appetatur. Verbi gratia, vt fornicatio appetatur, necessæ non est, vt iudiceretur bona moraliter, aut bona simpliciter, sed satis est, quod se offerat intellectui, vt delectabilis: ratio quippe boni delectabilis, que in ea elucet, sufficit, vt appetatur: quare absque vlo errore in intellectu potest quis appetere fornicationem, eo ipso quod eius menti representetur ut bonum quoddam delectabile sicut re ipsa est, esto simul iudicetur mala moraliter, & à Deo prohibita, ex quo appetitione fieri hominem dignum, qui mulctetur aeterno regni coelestis exilio, & cruciatibus aeternis puniatur. Bodem ergo modo Angelus potuit absque vlo errore in intellectu appetere primò, id quod etat malum moraliter, & quod videbat à Deo esse prohibitum, eo ipso quod in eo eluceret bonum honoris, aut quiduis alius: nam pro libertate & arbitrio suo potuit præponere minus bonum maiori, appetendo minus: & relinquento maius. Rem hanc totam ostendimus latè in 1.2. quæst. 9. art. 1. & quæst. 13. art. 6. quibus dissoluimus rationes, que in contrario adduci possunt. Contentiū nobiscum Scors & Gabriel in 3. dist. 36. quæst. vnica & doctores Nominales communiter. Adrianus quodlib. 4. & Almainus in moralibus tract. 3. dum de prudentia differunt.

2. Conclus.

Secunda conclusio. Primum Luciferi peccatum fuit superbia. Hæc ad ea est certa, vt contrarium non sit tutum in fide. Probatur, quia in primis est communis sententia D. Thomæ & Scholasticorum in 2. d. 4. 5 & 6. Deinde est etiam communis sententia sanctorum, Augustini 11. super Genesim ad literam cap. 13. 14. 15. 16. & 23. & 12. de Civitate Dei cap. 6. lib. 1. 4. cap. 13. & alibi saepe, Athanasij, si tamen ipse est auctor operis ad Antiochij, Basilij homilia 9. quod Deus non est auctor mali. Autoris homiliae de Adam & Eva apud Chrysostomum. 1. Chrysostom. 15. in Ioan. & ciusdēc. aut cuiusvis alterius auctoris operis imperfecti in Matthæ, homilia 4. Damasceni lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 4. Gregorij Nazianzeni de principiis, carmine 6. Ambrolij in illud Psal. 36. Vidi impium superexaltatum, & in Psal. 118. sermo, in illa verba, increpasti superbos, Hieronymi in illud Isaiae 3. Dabo pueros principes eorum, Gregorij in 1. Reg. lib. 3. cap. 4. in principio, & alias saepe. Isidorij lib. 1. de sum. bono cap. 12. sententia 7 & 8. Bernard. sententia de aduentu, & serm. 69. in Cantica. Anselmi in illud 1. ad Timotheum 3. in iudicium incident diaboli.

Item eamdem sententiam sonant aperte Scripturæ sacrae Isaiae 14. vbi iuxta communem sen-

tentiam sanctorum, alludendo ad Luciferi superbiam, describitur superbia regis Babylonis, eis verbis: Detracta est in inferno superbia tua. Et infra: Quomodo recedisti de celo Lucifer, qui mane oriebas? Quid diebas in corde tuo: In celum descendam, super astrum Dei exaltabo solum meum ascendam. Super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Ezechielis 28. Vbi similiter superbia regis Tyrus describitur illa oratione: Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proceperit. Luke 10. ad dexterorum discipulos, vobis inani gloria de peccato superbia caverent: Vnde debet, inquit Orlitus, Satanam sicut fulgur de celo cadentem. Ita exponit eum locum Hieronymus in illud Psal. 3. citatum; Gregorius 23. Moralium cap. 4. & plerique alij, Paul. 1. ad Timoth. 3. Oportet Episcopum irreprobabilem esse. Et subdit: Non neophyrum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diabolus: id est, in damnationem diaboli, hoc est, ne & ipse propter superbiam damnetur, sicut & diabolus propter superbiam damnatus est, vt Hieronymus in illud Isaiae 3. citatum exponit, & plerique alij, Job 41. Ipse est rex super omnes filios superbia Ecclesi. Initium omnium peccati superbia.

C Tertia conclusio. Peccatum primum Luciferi non videtur fuisse ex inaduentia. Hæc probatur primò, quoniam potissimum fundamentum eorum, qui assertuerant ex inaduentia, ortum est: quia alioquin error in intellectu Angeli antecepsisset peccatum angelorum: sed in prima conclusione ostensum est, id non esse necessarium: ergo peccatum angelorum non fuit ex inaduentia profectum. Secundò, quia in peccato ex inaduentia vix tanta culpa intelligi potest, quantum oportet agnoscere in peccato, propter quod Lucifer sic à Deo proiectus, punitusque est, & quantum Scripturæ locis citatis in quibus superbia Luciferi describitur, innuit. Tertiò, quia pars est ratio de angelo, & de primis parentibus: Euia autem non peccauit ex inaduentia: quandoquidem ei prius diabolus proposuit, cur precepit vobis Deus, &c. quod idem dicendum est de Adam, vt affirmant Augustinius 14. de Civitate Dei cap. 11. Anselmus in illa verba Pauli 1. ad Timotheum 2. Adam non est seductus. Beda in collectaneis super Paulum cum explicat eundem locum: Id ipsum de angelis affirmant Hieronymus, aut quoniam alius eius operis auctor, in illa verba Job 2. 4. Si satagit apparuerit aurora: & Anselmus de calo diaboli cap. 23. & Bernardus serm. 1. de aduentu, vbi ex persona Filij Dei sicut: Non in affectum malitiae & nequitia transisse Angelos desertores, neque ex ignorantia aliqua, seu infirmitate peccaserit. Imo eam rationem reddunt Gregorius lib. 4. Moralium cap. 11. & Isidorus lib. 1. de sum. bono cap. 12. sententia 10. & 11. & alij, quare homo ad pœnitentiam fuerit admissus, angelus vero non item, quod homo ex infirmitate peccauerit, angelus vero minime quod si angelus ex inaduentia peccauit, cum inaduentia non miseras, quam infirmitas, immo magis exculpet a culpa, sane ratio, quam Patres illi reddunt, nulla esset.

F Quarta conclusio. Peccatum Luciferi, nec in eo videtur fuisse, quod appetierit suam beatitudinem naturalem, tamquam ultimum finem simpliciter, neque in eo quod appetuerit suam beatitudinem supernaturalē ex suis naturalibus sine diuina gratia, modo iuxta mentem D. Thomæ explicato. Hæc probatur primum, quia id vnde potissimum ductus videatur D. Thomas, vt hoc assertet, fuit, quia arbitratus est angelum non potuisse primò peccare

ex parte rei, quam voluit, quasi illa esset mala, sed solum ex parte modi, quo eam appetiuit: nec potuisse peccare, nisi ex inaduentia modi, quem seruare debebat: sed prima & tertia conclusione ostendimus utrumque esse falsum: ergo in neutro illorum duorum videtur fuisse positum peccatum Luciferi. Secundò, quia primū peccatum Luciferi fuit superbia, vt in secunda conclusione ostensum est: difficilē autem explicatur ratio superbiæ in eo, quod appetierit suam beatitudinem naturalem, habendo se negatiū circa supernaturalem, aut in eo quod appetierit supernaturale, negatiū se habendo circa auxilia supernaturalia: neque satis constat, cur inde sequatur, voluisse interpretari suam beatitudinem naturalem esse ultimam simpliciter, aut supernaturalem non esse ex auxilio Dei: præsertim vt tantam culpam incurrisse dicitur, quantum verisimile est fuisse in eo peccato, propter quod Deus tam graui eum supplicio afficit: maximè cùm iuxta autores eius sententia, id totum prouenerit ex inaduentia, quæ valde extenuat ac minuit culpā, si quæ in ea appetitione fuit, adēt vt, penitus omnibus circumstantiis, vix maior culpa, quam venialis, possit excogitari. Tertiò, Anfelmus de casu diaboli cap.4. affirmat, Angelum, quando peccauit, appetiuit quod non habebat, idque innuit illud Isaiae 14. In cœlum descendam, super astra Dei exaltabo solum meum, similius ero Altissimo: sed quando peccauit habebat beatitudinem naturalem: ergo non peccauit appetendo suam beatitudinem. Quarto, ex eo quod nos absolute appetamus nostram beatitudinem supernaturalem, nihil attendentes ad diuinam gratiam, sanè non peccamus: ergo nec angelus in eo peccasset. Confirmatur, quoniam angelus tunc habebat gratiam gratum facientem, ac proinde bona opera moraliter, quæ exercebat, erant opera filii Dei per adoptionem, digna vita æternæ, meruitque angelus malus in primo instanti, in quo fuit creatus, vt D. Thomas affirmat: cùm ergo opus illud non esset malum ex obiecto, egredeturque à Filio Dei per adoptionem, sanè esset ea ex parte opus supernaturale meritiorum vita æternæ, ac proinde angelus tunc non appetiuit beatitudinem supernaturalem ex suis tantum naturalibus. Addit, quod cum angelus in primo instanti accepisset per reuelationem se esse creatum ad beatitudinem supernaturalem, ad cāmque ordinari per gratiam Dei, credi non potest, quod statim in secundo instanti eius rei esset oblitus, peccassetque per inaduentiam, vt vult Diuus Thomas.

5. Conclusio.  
Peccatum  
primi angelii  
in quo con-  
fuerit.

Quinta conclusio. Peccatum Luciferi videtur fuisse illud, quod de mente D. Bonaventura membro præcedente reuelum, nempe superbia delibera, qua de sua pulchritudine, vi, ac perfectione intumescens, propria autoritate dominatum & tyrannicum principatum super omnes alias creaturas appetiuit contra ordinationem Dei, quæ fortè præcepto aliquo positivo innoverat. Vnde catenus appetiuit similius est altissimo, quod quemadmodum Deus est omnium Dominus, ita ipse voluit omnibus dominari, & præesse, & ab omnibus creaturis præditis coli ac venerari: cūque à Deo, & angelis bonis prorsus insolentie resistentibus, è cœli finibus exturbaretur, odij venenum concepit contra Deum, & creaturas omnes, quæ Deo adhæreunt, easdēque omnes despexit inuidia stimulis agitatus, maximè aduersus hominem, quem nouerat (vt verisimile est) creandum tamquam socium beatitudinis supernatura-

A lis: quandoquidem mundus corporalis iam tunc erat creatus, verisimile que non sit Luciferum ignorasse, quod in hominum habitationem adificatus fuisset.

Fateor in conclusione hac nō multum esse evidentiæ, est tamè consona Scripturis, & dictis Sanctorum. Ezechielis 28. Eleuatum est cor tuum in decore tuo. Isaiae 14. Ad cœlum descendam, super astra Dei exaltabo solum meum, similius ero Altissimo. Quo in loco nomine cœli & astrorum non possumus intelligere cœlum materiale, & astra materialia: cōd quod Lucifer in cœlo esset Empyreo: sed nomine cœli, intelligendum est supremū fastigium honoris & principatus: vñus enim obtinuit, vt qui in magnum ascendit honorem, in cœlum ascēdere dicatur. Nomine vero, astrorum, intelligendi sunt cæteri angeli, atque celestes ciues, super quos volebat exaltari: ita enim exponit Hieronymus hæc verba Isaiae in commentariis quibus cap. 28. Ezechielis interpretatur. Lucifer etiam ipse nomine, atri, significatur apud Isaiae illo eodem capite. Quomodo, inquit, cecidi Lucifer, qui mane oriebatur? Et Paulus 1. ad Corinthios 15. Beatos stellis comparat, dicens: Alia claritas Solis, alia claritas Luna, & alia claritas stellarum: stella enim differt ab stella in claritate: sic resurrectio mortuorum. Nomine vero, similitudinis Altissimi, intelligenda est similitudo in dominatu ac principatu super omnia, quam diximus appetuisse.

Quod vero hæc eadem sententia consona etiam sit dictis Sanctorum, probatur. Augustinus enim 11. super Genesim ad literam cap. 23. Propria, inquit, potestatis deleclatione corruptus est. Et 14. de Civitate Dei cap. 11. Postea vero, inquit, quam superbis ille angelus, ac per hoc innidens, per eamdem superbiam à Deo ad semetipsum conuersus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditus, quam esse subdita eligen, de spirituali paradiſo cecidit. Quid clarius in hanc sententiam dici potuit. Gregorius 23. Mora- lium cap. 4. (in alia editione 7.) citatis illis verbis Isaiae: Despero, inquit, bono societatis angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & Altissimi similitudinem superbè appetens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis ascendere. Autor homilia de Adam & Eva 1. tomo Chrys. Vnus, ait, Angelus primus, qui Sathan dicitur est, malignam & nefariam præscriptionem assumens, dixit: Pono sedem meam in Aquilonem, & ero similius Altissimi. & ita pro tali præumptione cecidit irreparabiliter, vt angelus primus precipitatus de culmine angelico, diabolus nominaretur.

Sexta conclusio. Alij angelii mali videntur etiam peccatis peccato superbis, appetentes propriam aliquam excellentiam contra Dei ordinationem, quæ fortè eis aliquo diuino præcepto innoverat: cū autem crederent se non posse eam obtinere, nisi Lucifer se subderent, eiisque partes sequentur, illi adhæserunt, cūque fecuti sunt, illi usq; exemplo & suggestione peccauerunt. Hæc est D. Bonaventura loco citato artic. 2. q. 1. & 2. cāmque innuit Augustinus 12. de Civitate Dei cap. 1. dum de dæmonibus omnibus sic loquitur: Ad ali angelii sua potestate deleclati, vel vt bonus suum sibi essent, à superiori bono destinxerunt. Estque consona satis sacra paginae. Ea namque de causa Apocal. 12. & Matth. 25. angelii mali, Luciferi angelii dicuntur, quod eum fecuti sunt, cum eo in peccatum consenserint, illique adhæserint. Nec in hac re maior est evidēcia exigenda. Dictum est in hac & præcedente conclusione, ordinationem Dei fortè angelis præcepto

6. Conclusio.  
Aliorum  
angelorum  
peccatum  
exponitur.

cepto aliquo innovisso: quia satis probabile existimo id, quod Durandus, & Catharinus locis citatis & Caietanus in illud Genet. 2. De ligno scientia boni & mali ne comedas, arbitrantur, Deum scilicet, quod magis exerceret angelos, periculumque de fidelitate eorum sumere, præceptum positum eis imposuisse: non secus ac primis parentibus in eundem finem præceptum positum imposuit.

## 7. Conclusio.

Septima conclusio. Sententia illa alia Catharini & aliorum, specie aliqua probabilitatis non careret: tametsi minus probabilem, quam sententiam D. Bonaventurae, eam existimem. Tum quod certum non si angelis, dum fuerint in via, factum fuisse revelationem de mysterio incarnationis futuro, ut q. 17. art. 5. in ea ce disputationis 2. dictum est. Tum etiam quoniam, esto facta eis esset ea reuelatio, non constat illam fuisse occasionem ruinæ Luciferi, nec id sonant Scriptura sancta. Tum denique quoniam, qui arbitrantur id occasionem ruinæ Angelorum præbuisse, ferè omnes contendunt, Verbum divinum assumptum fuisse naturam humanam, esto Adamus non peccasset, Christumque redemptorem esse non solum hominum, sed etiam Angelorum, ac proinde tam Angelis, quam primis parentibus in statu innocentiae, collatam fuisse gratiam meritis Christi. Primum autem horum duorum dubium omnino est, probabilitusque videretur contrarium, cum sit dictis sanctorum Patrum, & Scriptura sacra conformius. Secundum verò non dubito, quin sit falsum. Quia de te tamen alio in loco dicendum est.

Ad 1. argu.  
pro opinioni  
Catharini.

Vnde respondentum est ad argumenta, quibus sententia Catharini confirmabatur. Ad primum iam respondimus q. 61. art. 3. Quo loco animaduertere argumentum illud apud autores contraria sententia non aliter vim habere, quam affero, Angelos ante mundum corporeum fuisse creatos. Nec desunt, qui studio stabiliendi opinionem Catharini, affirant post definitionem Concilij Lateranensis posse id sine vita temeritate defendi.

## Ad 2.

Ad secundum dicendum est, videri ridiculum quod in eo argumento asseritur, nimirum adverbium iterum, eum sensum illo in loco efficeret. Sensus enim legitimus est unus è tribus sequentibus. Cum unigenitus Dei filius, quatenus Deus, semper fuerit in mundo, iuxta illud Ioan. 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, cœpit iterum, quatenus homo esse novo quodam modo in mundo per mysterium incarnationis, iuxta id quod subiungit Iohannes: In propria venit, & sui eum non receperunt. Atque hoc est, quod dicit Paulus: Cum Pater aeternus iterum introducit primogenitum in orbem terræ, id est, per mysterium incarnationis introducit primogenitum, vt sit iterum nouo quodam modo quatenus est homo, in orbe terra, dicit ad Angelos, ut eum, quatenus homo est, adorent, eo quod simul sit verus Deus. Sensus hic est Chrysostomi, Ambrosij, & multorum aliorum ad eum ipsum locum Pauli. Secundus est, Cum iterum introducit primogenitum in orbem terra, per beatæ Virginis partum, præcepit Angelis, vt adorent eum. Facta quippe est in nativitate Christi multitudo cœlestis exercitus Laudantium Deum, vt habetur Luca 2. Tertius est: Cum iterum introducit primogenitum, non iam passibilem, vt in die incarnationis, sed gloriosum per resurrectionem qua natura humana Christi iterum incepit esse, dicit: Et adorent eum omnes angeli eius. Hic sensus est etiam Chrysostomi, & Ambrosij.

## Ad 3.

Ad tertium dicendum est, sensum illorum verborum, iuxta Augustinum in illa eadem verba, &

A 11. Super Génesim ad literam cap. 16. & cōmunem expositionem Sanctorum, hunc esse: Ille homicida erat ab initio mundi, generis humani, quando inuidia, suasionēque illius, mors introiit in orbem tetrarum, genūque humanum morti obnoxium reliquit. At quoniam tunc peccato Adami id tantum obtineat potuit, vt iuxta cursum naturæ, variisque rerum eventus singuli homines morerentur, cum tamen longè plus optasse, citius que singulos homines, si id obtinere posset, perdere volueret, de Pharisæis, mortem Christi machinantis, dicebat idem Christus, illos desideria diaboli, quæ ab initio habuit, velle perficeret: idemque de quocumque alio, qui simili modo mortem alicui alteri machinaretur, posset merito dici.

B Ad quartum, conclusione quinta explicatum est, quem sensum verba illa Isaiae habeant.

## ARTICVLVS IV.

Vtrum aliqui demones sint naturaliter mali.



ONCLVSI negat aduersus eos omnes quos q. 44. art. 1. retulimus, eliq[ue] fidei.

Demoni

fieri tenet.

Deus cuncta, que fecerat, & erant valde bona. Ezechielis 28. Tu signaculum similitudinis Dei,

plenus sapientia, & perfectus decoro, in deliciis paradisi

Dei fuisti. Et sequitur: Tu Cherub extensus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum (id est, Angelorum ardentiū caitate) ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis meae, donec inuenta es iniquitas in te. In Concilio Lateranensi 2. cap. Firmiger, de summa Trinitate, & fide Catholica: Diabolus & alij demones à Deo quidem

natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.

In Carthaginensi 4. cap. 1. inter alia fidei dogmata,

in quibus ordinandus in Episcopum examinari

præcipitur, vnum est, num credit, diabolum non per

condiunctionem sed per arbitrium, factum esse malum. In

Concilio Bracharense 1. Si quis dicit diabolum non

fuisse prius angelum bonum à Deo factum, anathema sit. Leo 1. epistola 9. ad Turibium Africensem

Episcopum cap. 6. Sexta adnotatio indicat eos (Pitilianistas videlicet) dicere, quod diabolus numquam fuit

bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eum ex chao

& tenebris emanasse, quia scilicet nullum sui habeat au-

tem, sed omnis mali ipse sit principium, atque substan-

tia. Cum fides vera, que est Catholica, omnium crea-

rarum, sine spiritualium sive corporalium bonam confe-

teatur substantiam, & mali nullam esse naturam: quia

Deus, qui universitas est conditor, nihil non bonum fe-

cit: unde diabolus bonus est, si in eo, quod facilius est, per-

maineret, sed quia naturalis excellentia mali vix est, &

in veritate non sterit, non in contrarium transiit substantiam, sed à summo bono, cui debuit adherere, desinat.

## ARTICVLVS V.

Vtrum diabolus fuerit malus in primo instanti sue creationis per culpam propriæ voluntatis.



OMMVLNT sententia Theologorum est, Apollinaris

propositio

item ad

passim.

Angelos malos non peccasse in primo in-

stanti sua creationis. Et quoniam con-

trarium non sit error ille Manichæorum, quod

diabolus suæ naturæ sit malus, articulo pœ-

diente impugnatus, vt Augustinus 1. de Civitate

Dei c. 13. notauit: nihilominus vt D. Thomas hoc

hoc

loco ait, à Doctoribus merito id celeretur errorem: nec desunt qui affirmant, à Doctoribus Parisiensibus fuisse ut errorem in fide damnatum: id quod sufficienter probant testimonia illa omnia Scripturarum, quibus questione precedente art. 3. ostendimus, illos creatos fuisse in gratia, item illud Concilij Bracharentis, & Leonis i. art. precedente citatum.

*An potuerunt peccare ex primo instanti.*

*Opinio D. Thomas & aliorum.* Solum vocatur in controuersiam, num dæmones & cæteri Angeli in primo instanti in quo creati sunt peccare potuerint. D. Thomas & Caetanus hoc loco, Capitulo in 2. d. 4. q. 1. concl. 4. Ferrariensis 3. contra gentes c. 16. & 4. contra gentes c. 95. Richardus in 2. dist. 3. art. 8. q. 2. & Durand. dist. 5. q. 2. Argentinas dist. 6. art. 2. & quidam alij amplectuntur partem, quæ negat, quam probant. Primo, quoniam operationem, quæ incipit cum re, cuius est operatio, convenit ei à generante seu producente, à quo producitur, ut motus sursus conuenit igni à generante: sed Deus, qui Angelis cœlum est per creationem, non potest esse causa peccati: ergo nulla operatio elicita ab Angelo in primo instanti potuit esse peccatum, atque ad eo Angelos peccare non potuit in primo instanti. Hæc est ratio D. Thomas hoc loco.

*Secundo.* Secundò, omnes Angeli sunt creati à Deo in gratia, ut quæst. precedente artic. 3. ostensum est: Deus enim simul erat condens in eis naturam, & infundens gratiam: sed gratia esse nequit simul cum peccato: ergo Angeli, saltem de facto, non potuerunt peccare lethaliter in primo instanti.

*Tertio.* Tertiò, si Angeli potuerint peccare in primo instanti, verisimile non est, quin ex tanta multitudine saltem aliquis peccaret: at nullus de facto peccauit in primo instanti: ergo Angeli in primo instanti peccare non potuerunt.

*Sententia Scotti Gallicorum contra 114.* Contrarium, nempe Angelos peccare potuisse in primo instanti, affirmat Scottus in 2. dist. 5. q. 2. Gregorius eadem dist. q. 1. art. 2. Gabriel dist. 4. q. 1. art. 3. dub. 1. Maior dist. 1. q. 3. Marsilius q. 3. art. 2. concl. 3. Ochamus quodlib. 2. q. 6. & quidam alij. Ac sanè videtur id longè probabilius, probaturque potest. Primo, quoniam in primo instanti fuerunt in Angelis omnia, quæ satis erant, ut si vellet, peccare: ergo peccare in eo potuerunt. Consequenter est manifesta, antecedens vero probatur, quia habuerunt sufficientem cognitionem ex parte intellectus, & libertatem arbitrij ex parte voluntatis: deinde voluntas Angelii in instanti potest producere actum: hæc autem satis sunt, quando adsumt, ut pro sua libertate peccet quis, si velit.

*Caetani & Ferrar. responsio.* Secundò, Angeli omnes ex sententiâ D. Thomas meruerint in primo instanti: ergo habuerunt operationem liberam: sine libertate namque esse non potest meritorum: tunc ultra, ergo in primo instanti habuerunt operationem, que ipsis tribueretur: operatio quippe meritoria & libera, ea ex parte, quæ meritoria & libera est, ipsis etiam operanti, non vero soli auctori natura tribuitur: cum ergo, quia libertas sufficit ad merendum, sufficiens etiam sit ad peccandum, & potissima ratio, quia Diuus Thomas dicitur, ut dicat Angelos non potuisse peccare in primo instanti, sit quia omnis actio, quam in primo instanti habere potuerunt, tribueretur auctori naturæ: efficitur sanè, ut Angeli in primo instanti peccare potuerint.

Caetanus & Ferrariensis locis citatis respondent, Angelos in primo instanti potuisse quidem habere operationem liberam quo ad exercitium, non tamen quod sp̄ ciem actus, quin potius, si in eo instanti aliquam elicerent, eam necessariò futuram bonam, & nulla ratione malam: eò quod effet

A ab autore naturæ: quare cum libertas quoad exercitium sufficiat ad meritum, potuerunt mereri, inquit, in primo instanti, non tamen peccare.

Verum contra hoc possumus argumentari, quoniam Deus potuit impone præceptum affirmatum Angelis, ut in primo instanti elicerent eam operationem liberam quoad exercitium: & cum illa libera esset quoad exercitium, potuerunt pro sua libertate eam non elicere, etiam stante præcepto, alioquin stante præcepto non esset libera quoad exercitium: quare in primo instanti peccare potuerunt saltè peccato omissionis. Non desunt ex secedatoribus D. Thomæ, qui id concedant, arbitrenturque id nihil pugnare cum doctrina Divi Thomæ, quin potius dicunt idcirco Doctorem sanctum hoc loco in corpore articuli apposuisse illa verba: *impossibile fuit Angelum in primo instanti peccare per inordinatum actum liberi arbitrij: quod arbitratetur potuisse peccare peccato omissionis.* Caetanus tamen vniuersim negat potuisse peccare tam peccato omissionis, quam commissionis, & sanè ratio vim habet contra eum.

*Angeli prima vitalis operatio non soli auctori naturæ ascribenda.* Tertiò, licet ex Aristotelis & multorum aliorum sententiâ, genua & leui moueantur ad sua loca naturalia à generantibus, viuentia tamen, quæ talia sunt, atque ad eam quoad operationes suas vi tales, non mouentur à generante, auctoré naturæ, sed à seipso, ut 8. physicorum, dum de motu gravium & levium effet sermo, latè ostendimus, idque sectatores ipsi D. Thomæ affirmant: sed omnis operatio voluntatis, quam Angelus in primo instanti elicit, est operatio vitalis, & propria viuentis, quæ viuentis est: ergo nulla talis operatio tribuenda est præcisè conditori Angelorum, sed omnis tribuenda est ipsi Angelo, ac proinde corruit fundamentum, vnde autores contrarie sententiæ sibi persuadent, Angelum non potuisse peccare in primo instanti.


Quartò, sola illa mutatio, aut operatio tribuitur generanti, ut 8. physicorum loco citato ostendimus, per quam res genita perducitur ad suam dispositionem naturalē: sed Angelus productus est à Deo in sua naturali dispositione, neque operationibus sua voluntatis eam affequitur: ergo operationes Angelii in primo instanti non tribuuntur auctori naturæ, ac proinde corruit idem fundamentum.

Quinto, quando operatio aliqua tribuitur generanti, non solum quando primò fit, sed semper postea eidem tribuitur: ut motus ignis sursum, non solum quādū incipit, statim ac ignis generatur, sed etiam tempore postea quoties iterum, atque iterum fit, tribuitur generanti: si ergo operationes Angelii in primo instanti tribuerentur auctori naturæ, tribuerentur etiam semper postea in quocumque instanti fierent, ac proinde vel numquam Angelus posset peccare, vel peccatum illius tribueretur auctori naturæ, quod est absurdum.

Confirmatur hæc ratio, quoniam cum Angelus non fecit pendeat quoad sui conservationē a perpetuo influxu Dei, ac lumen productum à sole pender à perpetuo, minimeque interrupto influxu solis, quo illi totum suum esse (sed sine nouitate essendi) confert: sanè quamdiu Angelus conservatur, eodem modo accipit suum esse à Deo efficienter, quo illud accepit, quando primò fuit productus. Præterea voluntas Angelii, comparatione cuius obiecti in primo instanti est naturalis quoad speciem actus, semper est naturalis: & comparatione cuius obiecti est libera, vel quoad exercitium, vel quoad speciem actus, etiam in primo instanti est simili

## ARTICVLVS VI.

Vtrum aliqua mora fuerit inter creationem, & lapsum Angeli.



Parvus. finitima expedita

A ergo hoc articulo explicandus est si mulart. s. questionis precedens. Non conueniunt sectatores Dñi Thomæ in explicando, quid de hac re Sanctus Doctor sententia. Capreolus in 2. dist. quarta

B quest. i. ad argumenta contra quintam conclusio- nem arbitrat, ex mente D. Thomæ tria esse con-

C stituenda instantia, in quibus negotium totum Angelorum peractum, consummatumque sit. Pri-

marum, in quo Angeli omnes creati sunt in gratia, nullus tamen eorum meruerit. Secundum, in quo

Angeli boni meruerunt, mali vero in peccatum laphi sunt. Tertium, in quo boni præmissum sunt

consecuti, mali autem supplicium acceperunt exer-

num. Nominis autem horum instantium intelligunt sectatores D. Th. non instantia temporis no-

ntri, que esse nequeūt immediata, suntque formaliter & virtute indivisiibilia omnino, sed instantia temporis discreti, que non aliud sunt, quam du-

rationes, indivisiibiles quidem in se, diversarum operationum Angeli, quarum indivisiibilum simili-

ter in se, vna aliam sequitur, sive correspondant instanti indivisiibili temporis nostri, in quo solo persistunt Angeli in vna carum operationum, sive

correspondant temporis nostro indivisiibili, maiori, vel minori, prout Angeli, per correspondentiam ad tempus nostrum, plus vel minus persistenter in

vna & eadem operatione, ut q. 10. explicatum est. Vnde instans temporis discreti, licet in se formaliter indivisiibile, virtute tamen, sive per correspondientiam ad tempus nostrum, esse potest dubium.

D Sententia Capreoli aperi pugnat cum doctrina Dñi Thomæ: quoniam in hoc articulo, & artic. 5. praecedens questionis, & alias lape duo tantum constituere videtur instantia, tum etiam quia eidem in locis, nec non articulo praecedente, aperi assertit, Angelos omnes meruisse in primo instanti. Vnde sententia Capreoli communiter ab aliis sectatoribus D. Thomæ reiicitur.

E Caietanus hoc loco, Ferrariensis 3. contra gen-

tes cap. 110. & quidam alii arbitrantur, de mente D. Thomæ totum Angelorum negotium duobus

tantum instantibus conclusum consummatumque

fuisse: codémque modo intelligi D. Thomæ Scotus in 2. dist. 5. quest. 1. & 1. arque ea sanè videtur fuisse eius sententia. Diffentientiam Caietanus,

& Ferrariensis in eo, quod licet vterque existimet Angelos omnes meruisse in primo instanti, nec in

eo potuisse peccare: Caietanus tamen censet An-

gelos bonos meruisse etiam in secundo instanti,

atque in eo simul fuisse beatitudinem consecutus:

malos vero in eodem secundo instanti simul pe-

casse, & punitos fuisse, ita ut pena æternæ in illo

eodem instanti cœperit per primum sui esse. At

probabile defendar: probabilius tamen arbitra-

tur, Angelos non potuisse in eodem instanti meri-

ter, & consequi beatitudinem. Vnde censet An-

gelos omnes potuisse in secundo instanti peccare,

& apponere obicem beatitudini, mortificare que-

merita, que in primo instanti cōparauerant: quol-

dam vero eorum de facto peccasse, apposuisse que

obicem beatitudini, quam in illo eodem instanti

erant accepturi, mortificasse que merita antece-

dentia

*Ad primum  
arg. parvum  
oppositum.*

*Ad secundum.*

*Ad tertium.*

dentia, simûlque in illo eodem instanti punitos fuisse: reliquos autem non peccasse, vt poterunt, & beatitudine fuisse denotatos in illo eodem instanti: verum in eo nō meruisse, sed solum in precedentem. Vnde addit, per unum tantum actum meritorum illos beatitudinem comparasse, & cum in reliquis cum Caetano conueniar, solum ab eo dissider, quod arbitratur, beatitudinem & meritum non potuisse esse simul in Angelis bonis in secundo instanti.

*Aliorum expposito.*

Alij arbitrantur, ex sententia D. Thomæ, quod attinet ad angelos bonos, constituenta esse solum duo instantia, in quorum solo primo meruerint, & in secundo consecuti sint beatitudinem, non tamen meruerint. Quod verò attinet ad Angelos malos, constituenda esse tria instantia, in quorum primo meruerint, in secundo peccauerint, nec tamen fuerint adhuc puniti, & tertium in quo fuerint supplicio affecti. Vnde neque cum beatitudinem admittunt meritum in eodem instanti, nec cum pena æterna demeritum, sed tam meritum, quam demeritum, censem fuisse ante beatitudinem, & penam, nec proinde concedunt moram viae malorum Angelorum fuisse maiorem, quam fuerit mora viae bonorum Angelorum per correspondentiam ad tempus nostrum. Dicunt enim primum instantis, in quo Angeli boni, antequam in secundo instanti acciperent beatitudinem, meruerunt, perfuerat per certum tempus nostrum verum, vel imaginarium, perfeuerantque in actu meritorio toto illo tempore nostro exegisse Deum in omnibus angelis, ut illis beatitudinem conferret: malosque, antequam boni desisterent ab illo actu meritorio, atque adeò antequam adueniret secundum eorum instantis, peccasse, atque adeò transiisse ad secundum instantis viae sua, perfuerante adhuc primo instanti viae bonorum angelorum, postea verò simul incepisse secundum instantis beatitudinis bonorum, & tertium poena æterna malorum angelorum. Itaque volunt, dum, correspondentem tempori nostro, fuit unum tantum instantis viae bonorum Angelorum, fuisse duo instantia viae malorum Angelorum.

Alij denique arbitrantur, de mente D. Thomæ constituenta esse tria instantia. Primum, in quo omnes fuerint in gratia & meruerint: quia tamen in eo haberunt libertatem solum quoad exercitium, nec peccare potuerunt: dicunt, non fuisse in eo perfectè in via, & ideò licet aliquando D. Thomas de eo faciat mentionem; dicantque omnes angelos in primo instanti meruisse: sive tamen illud silentio inuoluit, sola duo sequentia enumerans, in quorum altero fuerint perfectè in via, & in altero in termino iam prorsus extra viam. In secundo ergo dicunt angelos bonos meruisse, malos verò peccasse, & in tertio bonos recipisse præmium, malos verò supplicium. Atque de his duobus posterioribus instantibus loqui D. Thomam, quando affirmat, angelorum negotium duobus instantibus peractum, absolutumque fuisse.

Sit nihilominus prima nostra conclusio. Posito quod omnibus angelis creati fuerint in gratia, & omnes aliquando meruerint, quæ duo suprà ostensa sunt, tres sunt constituenta mora, seu durationes, in quibus angelorum negotium conclusum, absolutumque est. Prima, in qua angelis omnes fuerunt in gratia, & meruerunt. Secunda, in qua boni perfitebunt in bono ac meruerunt: mali verò peccaverunt. Et tertia, in qua boni primò consecuti sunt præmium beatitudinis: mali verò primò extremo supplicio puniti sunt. Hæc est Scot. in 2.d. 9.q. 1. & 2. Greg. ibid. q. 1.art. 3. Maior. q. 3. Gab. q. 1. & cöplurium aliorum, Molina in D. Thom.

A Aduersus Caetanum probat, primum esse tertiae durationis distinguo omnino debere à secundo. Primo, quoniam status viatoris & comprehensoris suæ natura repugnat, neque est illa necessitas coniungendi instantis, in quo Angelus primo fuit beatus cum instanti, in quo erat in via, & poterat mereri ac peccare, amittereque beatitudinem: ergo non solum gratis, & sine ullo solidi fundamento, sed etiam contra id, quod lumen rationis præscribit, confundit Caetanus in Angelis tertiam durationem cum secunda.

B Secundò, in nobis primum esse premij & visionis beatificæ distinguuntur à via, ita vt in eo instanti nec mereri, nec peccare possumus: alioquin in primo non esset homini, in quo anima primò est separata à corpore, & in quo, si nihil expiandum deferat, primo videt diuinam essentiam, posset peccare, quod nulla ratione est asserendum: ergo consentaneum est ratione, rem eodem modo habere in Angelis, nempe Angelos in primo instanti in quo diuinam essentiam intuentur, nec mereri, nec peccare posse.

C Caetanus hoc loco, & quæstione frequenti art. 2. verific. Ad obiectionem autem contra consequentiam, ait: *Hominem, non secum ac Angelum, posse peccare, & videatur loqui de primo non esse hominis, in quo anima est separata à corpore, & in quo, si nihil expiandum deferat, primo videt diuinam essentiam: alioquin supponeret falsum, nempe ante illud instantis dari terminum viae: pratercè responsio Caetani non efficit ad rem.* Quod si, vt videtur, hoc censuit Caetanus, certè horrent aures id audire, neque est tutum in fide. Planè studium defendendi, quicquid S. Thomas affirmit, meo iudicio, adduxit Caetanum in tam absurdam, & minus tutam opinionem.

D Tertiò, ciuidem rationis est beatitudine in primo instanti, & in reliquis: sed beatitudine in quocumque alio instanti, reddit beatum impotentem ad peccandum pro illi eodem instanti, vt lectores ipsi D. Thomæ affirmant, & ostendimus 1. 2. q. 4. art. 4. ergo in primo instanti, in quo angelis fuerunt beati, non potuerunt peccare. Quo loco obserua, cum gratia non reddit impotentem ad peccandum eum, qui illam habet, vt reddit visio beatifica, non esse patrem rationem, vt sicut gratia non potest esse simul cum peccato, & tamen, in quo instanti quis recipit gratiam, potest peccare, non receptus eam, si in eo instanti peccaret: sic quoque in quo instanti quis recipit beatitudinem, possit peccare.

E Quartò, in eo viatore, qui ex dispensatione, supra id quod postulat natura rei, non sit simul comprehensor, vt erat Christus, meritum procedit ex fide & spe, imò, & caritate imperfecta, qualis est caritas viæ: sed angelus in instanti, in quo primò fuit beatus, neque habuit fidem, neque spem, neque caritatem imperfectam: cù quod hæc cum visione beatifica pugnant, vt lectores ipsi D. Thomæ affirmant: ergo Angeli non meruerunt in instanti, in quo primò fuerunt beati. Hoc argumentum conuicit Ferrariensem, vt à Caetano dissentire.

F Verum contra Ferrariensem, prater alia, quæ sibi ipsi obiicit, neque satis soluit, possumus primò argumentari. Quod durum admodum sit concedere, damnatum, in quo instanti propter peccatum commissum punitur pena æterna, posse non peccare, & esse beatum, vt Ferrariensis de Angelis malis in secundo instanti concedit. Secundò, quoniam durum admodum est concedere, aliquem constitutum in gratia posse peccare in aliquo instanti, & in eodem non posse mereri: Ferrariensis autem id affirmit de Angelis bonis in eodem secun-

G gg do

*Impugnotur opinio Ferrariensis.*

do instanti. Tertiò, quoniam homo, qui in termino viae damnatur, & punitur pena æterna per primum sui non esse, & primum esse separationis animæ à corpore, ac primum esse peccata, non potest in eodem instanti mereri, & consequi vitam æternam, imò neque demereri per peccatum, quod ad peccatum illi imputetur, quin potius totum demeritum, propter quod tunc primo punitur, fuit ante illud instans: ergo pari ratione idem est in Angelis: Ferrariensis autem affirmat, Angelos in secundo instanti, in quo primò puniti sunt, peccasse peccato, propter quod ea sunt pena mulctati, atque adeò totum demeritum fuisse in illo eodem instanti punitum, potuisse in illo eodem non solum mereri, sed etiam consequi beatitudinem.

*Quæstafue-  
rit mors cu-  
inque dura-  
zione.*

Dubium est, cuiusnam quantitatis fuerint singulae illæ tres moræ, seu durationes, quas diximus esse constitutas. Conuenient communiter Doctor, viam bonorum, & malorum Angelorum à puncto, in quo esse receperunt, usque ad instans, in quo primò boni præmitum consecutis sunt, & mali puniri coeperunt, fuisse æqualem, atque adeò correspondenter temporis nostro in uno & eodem instanti per primum sui esse corporis beatitudinem bonorum, & supplicium malorum: quo fit, ut tertia, tam bonorum, quam malorum Angelorum, ab illo instanti coepit, & duret in æternum, ac proinde, ut æqualis omnino sit duratio tam beatitudinis bonorum, quam supplicij malorum Angelorum.

Quod ad reliquias duas moras attinet, sit in ordine secunda nostra conclusio. Lucifer ante lapsum primorum parentum peccauit, idemque dicendum est de ceteris Angelis malis, imò & ante lapsum primorum parentum mali coeperunt puniri, & boni frui beatitudine sempiterna: non tamen constat quantum Angeli mali persistirint in gratia, nec etiam quantum persistirint in peccato ante peccatum, atq; adeò quando via bonorum, & malorum Angelorum finita fuerit. Prima pars huius conclusionis adeò certa est, ut contrarium sit error in fide: ex tertio namq; c. Genes. & ex illo Sapient. 2. *Inuidia dia-  
boli mors introiit in orbem terrarum.* constat, diabolum suggestione sua & tentatione protrauisse primos parentes, eaq; de causa Ioh. 8. dicitur *fuisse ho-  
mida ab initio.* Secunda & tertia perspicua etiam sunt, eaq; testatur communis consensus Ecclesiæ.

Circa quartam Isidorus lib. 1. de sum. bono, c. 12. sentent. 7. ait: *Prius de celo occidisse diabolum creditur, quam homo conderetur: nam mox, ut factus est, in superbiā erupit, & statim, ut factus est, cecidit.* Ex quibus verbis constat, diabolum ex sententia Isidori corruisse ante sextum dien, in quo factus est homo. In eadem sententia fuit autor libri de mirabilibus sacra Scriptura cap. 2. in 2. tomo operum Augustini, qui eo argumento duxit, quod carcer & ignis inferni conditus fuerit intra sex primos dies, paratusque diabolo & Angelis eius post illorum peccatum, iuxta verbum Christi Marth. 25. affirmat Angelos peccasse ante sextum diem. Quidam dicunt illos peccasse statim primo die: nec refragatur, quin potius consentit testimonium Isidori, dum de Luciferō ait: *Mox, ut factus est, cecidit.* Aliis placet, Angelos omnes perseverasse in gratia usque ad sextum diem, septimōque aut octavo die corruisse, sed ante peccatum Adami. Ducuntur, quia Scriptura de die sexto ait, *Vidit Deus cumila qua fecerat, & erant valde bona:* quare usque ad illum diem nihil fuit malum. At certè hac de re nihil certius potest affirmari, quam nihil nobis esse certum, ut afferit quarta pars nostræ conclusionis. Vnde ad testimonium illud Scripturæ

A responderi potest, vel ibi solum esse fermehem de rebus corporeis: ex quibus mundus hic corporeus coalefecit, quarum solum fuerat facta expedita mentio usque ad eum locum, vel certè intelligendum esse de rebus omnibus, quatenus erant à Deo: securus autem quoad culpam, quam diabolus per suum arbitrium addiderat. Postrema pars, quatenus supponit necesse non esse, ut angelii solum per instans persistirent in peccato ante peccatum æternam, ostendetur statim. In reliquo nihil continetur, quod probatione indiget.

Tertia conclusio. Mors, in qua omnes angelii fuerunt in gratia, non correspondet soli momento temporis nostri, sed ipsi temporis neque vero necesse est, ut unusquisque angelus vñam tantum operationem meritoriam in ea elicerit. Neq; etiam opus est, ut omnes angelii, qui peccauerunt, in eodem instanti per correspondientiam ad tempus nostrum peccauerint, ac proinde necesse nō est, ut duratio, in qua angelii mali fuerunt in gratia, antequam peccaret, fuerit æqualis omnibus angelis. Primum probatur, quoniam actus, quo unusquisque angelus primò peccauit, incepit per primum sui esse, illud nō fuit instans, in quo angelii fuerunt in gratia: cum gratia & peccatum repugnant: ergo fuit aliud: cum ergo inter quevis duo instantia nostri temporis mediet tempus, sit ut mors, in qua angelii mali fuerunt in gratia, non fuerit instantia.

Secundum ex se est satis consonum rationi, sicut & primum, neque est quicquam quod illis repugnat: præsertim cum in superioribus euerit sine fundamento, in quibus D. Thomas contrarium secundi fundauit. Possunt præterea illa duo confirmari verbis illis Ezechielis 28. *In medio lapidum ignitorum ambulasti (id est, angelorum) caritate ardentium perfectus in viis tuis à die conditionis tuae, donec inuenta es iniquitas in te.* Ambulare namque plusquam unum instantis, & plusquam vnum gressum operationis inveniuntur. Item *esse perfectum in viis,* in plurali, à die constitutionis ipsius usque ad instans, in qua inuenta est iniquitas in eo, aperte indicat plures operationes bonas & meritorias, quam vnam.

Reliquum conclusionis ex eo probatur, quoniam nullum est absurdum, quod peccatum Luciferi, cuius exemplo & suggestione ceteri peccauerunt, precesserit, per correspondientiam ad tempus nostrum, peccatum aliorum angelorum, imò id ut consentaneum rationi se offerat. Confirmatur, quia nō omnes operations Angelorum durant æqualiter, quin potius vnum potest continuare operationem per longiorem moram temporis quam aliis, cum id pendeat ex libero arbitrio cuiusque: ergo non fuit necesse omnes in eodem instanti temporis nostri finire, per primum non esse illius, operationem primam meritoriam, & incidere in peccatum in eodem instanti per primum esse peccati.

Quarta conclusio. Secunda duratio, in qua angelii peccauerunt, non durauit solum per instans, sed per tempus: neque in ea angelii mali videntur eliciisse vnum tantum actum peccati, sed multis, quorum vnum alium sequeretur. Hæc est Scotti in 1. d. 5. quæst. 1. art. 2. & q. 2. art. 3. Gabrielis ibidem q. 1. art. 3. dubio 2. & aliorum. Potest vero probari quo ad priorem partem, quoniam demonstratum est, tertiam moram, etiam in angelis malis esse diffinire, etiam omnino à secunda, penamque æternam incepisse in angelis malis per primum sui esse, cum ergo peccatum angelorum incepit per primum sui esse & inter quæcumque duo instantia nostri temporis mediet tempus, consequens est profecto, ut secunda mors peccati angelorum, que praecessit sup-

plicium eorum æternum, non fuerit instantanea, sed temporalis comparatione temporis nostri. Tota verò conclusio probari potest primò. Quoniam credi non debet viam ad promerendam æternam beatitudinem, aut æternum supplicium, tam brevè fuisse à Deo institutum. Secundo, quia Lucifer commisit peccata, quæ neque per unum solum instans, neque simul videtur perpetratæ, præfertim cum in suam sententiam angelos complures traxerit, præliūmque disceptationibus & locutionibus commissum fuerit magnum in cœlo inter angelos bonos & malos, quod durasse solum per instans, qui assuererit, an tam irrisiōnē dabit: quare non modicum tempus, multis disceptationibus vltro citrōque habitis, consumptum fuisse viderat, quæ in angelis malis fuerunt peccata, neque caruissé videntur successione.

*Dubium.* Ex hac quarta conclusione oritur huiusmodi dubium. Cum secunda mora fuerit diuinitatis, & post perpetratum primum peccatum, ante damnationem & punitionem, intercesserit aliqua duratio, vtrum in ea duratione potuerit diabolus dolere de peccato commisso, eaque ratione, dum erat in via, ab illo per penitentiam, non secus ac homo refugere. Scotus in 2.d.6.q.2.in responsione ad quartum, & Gabriel eadem d.q. 1. art. 2. affirman, potuisse tunc penitentia, idque si fecisset, confeceturum fuisse veniam, intenturumq; misericordiam apud Deum.

*Sicut & Gab. opinio.* Quinta cōcluſio, qua dubium solvitur. Sit tamen quinta conclusio. Angelii recuperare non potuerunt gratiam semel amissam per peccatum, & idcirco post primum peccatum evadere non potuerunt damnationem æternam. Hæc est Damasceni lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 4. vbi sic ait: *Quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus: post lapsum enim non est illis paenitentie locus, ut negue post mortem hominibus.* Gregorij Nysseni in lib. 1. Philosoph. cap. 3. Cassiani collatione 4. c. 14. Gregorij lib. 4. Moral. cap. 9. & 10. Isidori lib. 1. de summo bono cap. 12. D sent. 11. Fulgentij de fide ad Petrum cap. 3. Autoris libri de mirabilibus sacrae scripturæ lib. 1. cap. 2. & communis Patruan. Et probatur aperc̄t, quoniam existens in peccato lethali suis viribus non potest se disponere ad gratiam: sed solum auxilio supernaturali Dei: cum ergo huiusmodi auxilium, & primam gratiam, non conferat Deus peccatoribus & inimicis, nisi merito redemptoris, cui innitur omnis gratia, & omne bonus supernaturalis ipsorum, fit, vt quemadmodum homo non posset refugere à peccato, nisi Deus statuisset, & parasset illi redemptorem, ita angeli, quibus Deus non statuit conferre redemptorem, refugere non potuerunt à peccato semel commisso. Noluit autem illis parare & conferre redemptorem, tum quod nullum eorum peccatum esset tortius naturæ, vt erat peccatum Adami, qui proinde, absque posterorum propria actuali culpa, totam perdidit naturam humanam. Tum etiam quod diabolus non peccauerit ex suggestione alterius, vt peccauerunt primi parentes. Tum denique, quod perfectiores, lapientiores, & potentiores fuerint ad vitandum peccatum, quam Adamus & posteri illius. Primam rationem reddit Augustinus in Enchiridio c. 28. & 29. secundum reddit Gregorius 4.lib. Moralium cap. 10. & Cassianus collatione 4. cap. 13. & 14. Tertiam reddit Damascenus 2.lib. fidei orthodoxæ cap. 3. Gregorius Nyssenus 1. lib. philosophiae cap. 3. Alter Gregorius 4.lib. Moralium capite 9. & Autor de mirabilibus sacrae Scripturæ capite 2.

*6. conclus.* Sexta conclusio. Nullam Deus angelis fecit iniuriam, quin poriūs æqualitate quadam cum eis vñs est, dum certam periodum vñs eis statuit, in qua to-  
*Mabina in D. Thom.*

A tam ereri, aut demereri possent, esto gratiam recuperare non possent, si pro sua culpa, & libertate semel eam amitterent. Hæc de se est manifesta.

Vtrum autem angeli, dum erant in via, dolere potuerint de peccato semel patrato, dolore & pœnitentia naturali, quæ effet actus bonus moraliter, non tamen dispositio sufficiens ad gratiam, examinabitur quæstione sequenti.

### ARTICVLVS VII.

B Vtrum angelus supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes.

*D*AMASCENVS 2. libro fidei orthodoxæ c. 4. affirmat, Luciferum non fuisse supremum angelorum, sed fuisse ex angelicis virtutibus eam, quæ præter terrestri ordinis, & cui à Deo terræ euodia commissa erat. Augustinus etiam 3. super Genesim ad literam c. 10. & lib. 11. c. 19. referens quorundam sententiam, qui dicebant, eum non fuisse de angelis coelestibus, seu supercoelestibus, qui superiores sunt, sed archangelum de eorum numero qui huic mundo inferiori præsidebat, in eoque degebat, eam non improbat, nec etiam approbat.

Contraria sententia est communis Patrum, consonantiōque multo literis sacris, & omnino amplectenda, nempe Luciferum fuisse supremum omnium angelorum, tamen Damasceni, & aliorum sententia dampnanda non sit. Nostram affirmant Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem ante medium, exponens illud Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis eius.* Vbi ait, *illum fuisse omnium angelorum sapientissimum & eminentissimum.* Origenes tractat 9. in Matthæum. Autor homilia de Adam & Eva, que est tertia post homilia in Genesim, & homilia de lapsu Adami, que est homilia 5. 1. tomo operum Chrysostomi. Hieronymus in illud Iob. 40. *Ipsæ est initium viarum Dei.* Gregorius homiliarius 34. in Euangeliā, libro 4. Moralium cap. 13. & libro 32. cap. 18. in alia editione cap. 24. & referunt de pœnitentia dist. 2. cap. *Principium.* Autor operis de mirabilibus sacrae Scripturæ lib. 1. cap. 2. Isidorus lib. 1. de sum. bono cap. 12. sententia 4. 5. & 6. Bernardus serm. 1. de aduentu, & in tractatu de gradibus humilitatis & superbie, *que alij plures, eamque communiter sequuntur Scholastici.*

Potest verò probari primò ex illo Ezechiel. 28. *Tu signaculum similitudinis Dei* (id est, Dei similitudinem referens, vt imago à sigillo cera impressa similitudinem signilli referre solet) *plena sapientia, & perfectus decor.* Secundò ex illo Ezechielis 31. *Cedri non fuerunt altiores illa in paradise Dei, abies non adagauerunt summum etem eius, & platani non fuerunt aqua frondibus illius, omni lignum paradisei Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius.* Quo etiam in loco Sancti affirmant ad Luciferum fieri allusionē. Tertiò ex illo Isaie 14. *Quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui mane orebaris?* Quo in loco non alia de causa nomine illius stellæ, que plus ceteris micat, in celo, pulchritōr, apparet, significatur, nisi quia eodem modo angelus ille ceteris omnibus præstabat. Quartò ex illo Iob. 40. *Ipsæ est principium viarum Dei;* quod intelligi nō potest de primitate durationis, sed dignitatis & excellentiæ supra res alias creatas. Et c. 41. subiungit, *Ipsæ est rex super omnes filios superbie.* His accedit, quod, vt D. Th. hoc loco argumētatur, peccatum angelorum non fuit ex infirmitate, que in

Ggg 2 infe